



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 43. Decretum Legatorum signatum, & quo artificio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV. Legatorum Papalium decretum sigillis  
A.C. 1437. munire constanter recusassent, nihilomi-  
 nus per quindecim omnino dies summa  
 erat rerum tranquillitas; Quapropter  
 Synodi Patres hac pace, cujus uberes  
 fructus sibi ex suo Decreto, ac delegato-  
 rum dexteritate promittebant, diu potius  
 se posse speraverant.

## §. XLIII.

*Decretum Legatorum signatum, &  
 quo artificio?*

Verum pax ista insolito quodam modo  
 turbata fuit. Quippe nonnulli Lega-  
 tis adhærentes, forte tacito ipsorum  
 Legatorum, qui prætensum suum decre-  
 tum Synodali substituere meditantur,  
 consensu, quemdam Bartholomæum, co-  
 gnomento de Bertiferris, qui Cardinali  
 Juliano Præsidi a secretis erat, necnon  
 filium quemdam ejusdem Cardinalis fa-  
 miliarem ad suas partes pertrahunt, ho-  
 rumque opera, & noctis beneficio arcam  
 in qua Synodi sigilla includebantur, se-  
 ris revulsis aperiunt, pluraque acta  
 agnunt, quæ præfatum complectebantur  
 decretum, quod ab exigua illa Legatis  
 Pontificiis adhærentium parte conditum  
 Synodalis decreti nomen præferebat,  
 perinde ac si vera Concilii sanctio fuisset.  
 Sub idem quoque tempus aliæ etiam e-  
 pisto-

pistolæ signabantur ad Græcorum Imperatorem, & Patriarcham Constantinopolitanum datæ. Sæcul. XV.  
A.C. 1437.

Ast quemadmodum nihil ita est reconditum, quod aliquando dies non manifestet, sic quoque Basileenses quarto post die hanc fraudem compererunt, & Synodus postridie hac super re in quatuor Deputationum Congregatione deliberationem habuit, atque unanimi suffragio duodecim Prælatos auctoritate ceteris præstantiores nominavit, quibus datum negotium, ut in hujus doli Architectos inquirerent, condigna poena plecterent, ac singulos quoquo modo pacem perturbantes severitate legum perstringerent. Eisdem quoque auctoritate Synodi injunctum, ut datis literis omnes Principes tam Ecclesiasticos, quam sæculares adhortarentur, quatenus Decreti, quo Urbes pro futuro Concilio designabantur, executionem urgere, & quantum in ipsis esset, omnes tumultus, ac omnes illorum, qui Concilium pravo affectu impedire tentarent, ausus reprimere velint. Hæc fuere statuta in quadam Congregatione generali, cui ipse Cardinalis Julianus non modo præfuit, sed & actis consensit unacum Joanne Episcopo Papalium Legatorum altero. Deputati, quos commissarios vocabant, de commissio dolo quæstionem instituentes, Joannem

Sæcul. XV. A.C. 1437. nem ablati Synodalis sigilli, & actorum hac occasione signatorum conscium fuisse cognoscunt. Ergo eum comprehendi jubent, & in domo sua inclusum detinent: Verum cum Episcopus iste delicti conscientia stimulatus iudicii severitatem timeret, comitantibus quibusdam nobilibus armatis ex urbe fuga se proripuit, ea temporis opportunitate usus, quo Patres in quadam Congregatione Generali occupabantur. Ex aliis Epistolis ab Archiepiscopo Tarentino Bononiam scriptis, & fortuito interceptis plures aliæ clandestinæ molitiones detectæ fuerunt, & ipsimet, qui prius Legatorum factioni se associarunt, postquam Tarentinum & ipsius affecta; unice impediendo Concilio intentos compererant, particulare eorum Decretum rejecerunt, atque ut illa Decreta, quæ plurium suffragio comprobata fuerant, executioni darentur, consenserunt (\*).

## §. XLIV.

(\*) Infamis calumnia, putida fabula, a factiosius turpiter conficta, cujus falsitas jam tum adeo manifeste detecta fuit, ut quamvis illi Eugenio apud Græcos invidiam conciliantibus, & Legatorum Pontificiorum decretum ac auctoritatem depressuri, plurima mentiti fuissent, nunquam tamen confictum hoc ac delosum facinus coram Græcis vel Papæ vel ejus Legatis